



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Gefördert durch



Deutsche
Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

**'DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB
Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."**

Eligia Votiva

W. K.

Bremæ, 1747-03-10

VD18 91022606

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: brem.a.0631-16

[urn:nbn:de:gbv:46:1-179753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:46:1-179753)

ELIGIA VOTIVA
QUAM
FASCIBUS CONSULARIBUS
VIRI

1767
10 März

PERQUAM MAGNIFICI PRÆNOBILISSIMI ATQUE CONSULTISSIMI
DOMINI,

DOMINI
CHRISTIANI
SCHÖNEI,
JCTI CONSUMMATISSIMI

CUM SENATORIAM DIGNITATEM PLUS VIGINTI SEPTEM
ANNIS ORNASSET

CONSULIS
FELICISSIME DESIGNATI

CONSECRAT

W. K.

~~~~~

BREMÆ,

TYPIS VIDUÆ B. HERMANNI CHRISTOPHORI JANI, QUONDAM ILLUSTRIS  
GYMNASII TYPOGRAPHI,





VIR

qui resplendes Patriæ Flos, Gloria nostræ,  
Civibus unus Amor, Deliciumque Tuis.

Dum Tibi dat Fasces dat signa & honoris in Urbe  
Summi, omnis plaudit sanctior Ordo Patrum.  
Applaudunt Cives populusque, Patremque salutat  
Curia sub titulo Præsidis ampla suum.  
Deductum excipiunt votis grantibus omnes,  
Lætitiæ & cupiunt prodere signa suæ  
Dum dolet insignem meritis virtuteque Clarum  
Summâ parte carens Patria moesta Virum.  
Jam Te suffecto vultum componit ad illam,  
Quam faciem lætâ conditione tulit.  
Me quoque Celsa Tui commovet purpura honoris  
Parvula ferre Tuis thura cremanda focis.  
Accipias placido vultu munuscula Musæ  
Signaque lætitiæ qualiacunque meæ.  
Sunt Tua dona Urbi sunt gentibus illa propinquis  
Testata, & multis sæpe probata modis.  
Ardua, quæ meritis auxisti munia tantis,  
Jam potuere Tibi conciliasse decus.  
Addita Prætoris, summum Provincia pondus,  
Has auget fortis nobilioris opes.  
Judicis officium fulgoris fertile quondam  
In pretio Romæ magnificoque fuit.  
Plena equidem laudis, sed sarcina plena laboris,  
Quilibet ingenuâ quam pietate colit.  
Sunt leges sunt jura etenim queis publicus omne  
Convictus debet robur & omne decus.





Flos, Gloria nostra,  
Deliciumque Tuis.

Justitiâ populi stabilitur gloria, & omnis  
Sceptra tenente illâ crescit in urbe salus.  
Ipse Deus justî sancto inflammatus amore  
Imperium justè jussit in orbe geri.  
Felix sorte suâ, digno cui credidit æquam  
Justitiæ lancem provida cura Dei.  
Ille Tribunali sublimis commoda multis  
Explicat ingenii dona beata sui.  
Quid pietas possit, Divi quid Flamminis aura,  
Monstrat communi vira dicata bono.  
Non sibi sed patriæ natus diffundit in usum  
Communem cunctas cordis & oris opes,  
Dicta probat ratio, jubet emendata voluntas  
Moribus & factis semper honesta sequi.  
Meta laboris ei præfixa est gloria Christi,  
Cujus non vanè nomina fronte gerit.  
Componens litem sententia judicis æqui  
Ex verâ sequitur conditione rei.  
Sæviat effusis ne dira malitia frænis,  
Strenua judicii poena timenda cavet.  
Quæsitis si rite bonis injuria fraudem  
Vimque struat, pressò portus & ara patet.  
Inde redundat honos multis cum fructibus Urbi,  
Quas Tua judicii Splendida Sparta tulit.  
Teque Tuasque sibi sistens in imagine dotes  
Mens statuit meritis commoda digna Tuis.  
Religio & pietas mensuram nominis implent,  
Et gaudent coeptis semper adesse Tuis.  
Indolis ingenuæ thesauros solida virtus,  
Virtus ingenti nobilitata penu.  
Illa docet claro natos de stemmate facta  
Majorum meritis perpetuare suis.  
Illa viam sternit vestigia gentis avitæ,  
Queis felix coeli scandere ad astra queas.  
Arte suâ huic operam navat, dat robur Apollo  
Usibus expromens deliciasque Tuis.  
Successu ridet. Gnatum jam culmine Pindi  
Amplexu mañtum doctòr honore fovet.  
Castalidum exultat chorus, inde recentia nectir  
Sertaque solenni cultibus apta die.  
Quæ Themidis pleno manavit copia cornu,  
Nectar & Ambrosiam dividit usque Tibi.  
Naturæ facilem positivi juris & usum  
Ingenio Nemesis tradidit ipsâ Tuo.  
Hac duce Chaucorum teris, Urbis Ocelle, statura,  
Intentus patriis nocte dieque bonis.  
Te Sophie & Charites fictum meliore metallo  
Certant muneribus condecorare Virum.



Est prudens bonitas, nativa est gratia morum,  
 Unde favet populi largior aura Tibi.  
 Principibus earum Te præstantissima linguæ  
 Fecit & eloqui gratia rara Tui  
 Concilio Procerum Patriæ Tuæ cognita ab annis  
 Multis dona Tibi nomina magna parant.  
 Sic Tibi devinctos facit observantia cives,  
 Quæis demulcet amor pectora grata Tuus.  
 Sic relevabat onus mira experientia rerum,  
 Sparta quod imposuit tam veneranda Tibi.  
 Gloria quam decorat proavorum splendida fulcrum,  
 Sospite Te, firmum gaudet habere Domus.  
 Teque & eam Conjux ornat Lætiissima tanto  
 Matræ eximio digna & honore Viro.  
 Inclyta Progenies, magnis & idonea rebus,  
 It Tibi splendoris lætitiæque comes.  
 Quæ Tibi læra domus, quæ Patria, quæ Tua, cives,  
 Plurima cura ferunt, sint rata vota precor.  
 Quosque capis Fasces, Te Vindice & Auspice rerum,  
 Importent Domui commoda mille Tuæ.  
 Consiliis firmata Tuis Respublica curas  
 Florida collaudet tempus in omne Tuas.  
 Corporis atque animi vires Deus augeat æquus,  
 Quas Tibi munificæ contulit usque manu.  
 Gratia Diva Tuis optatum præbeat ausis  
 Successum. Felix exitus illa beet.  
 Extentis floresce annis, viridemque senectam,  
 Quam Soboles decoret postera, Vive. Vale.

